

CAPITULO VII.

Ad spirituales Animarum Directores.

Circa Diabolicas Obsessiones, quæ maxima cordatorum displicentia, magis hodie quam temporibus elapsis, præsertim in foeminis abundant: dum lingua vernacula legenda disposui, consultò calamum compressi. Non est enim foeminis, nec quibuscumque viris, sed hominibus doctis de qualitate doctrinarum disputare: nec attinet ad me Judicium inferre censoris: est autem qui querat, & judicet.

Nonnulli viri doctissimi, quos tanquam Discipulus audivi, denuntiandas existimarent sequentes quinque Propositiones; tanquam respectivè falsas, escandalosas, temerarias, piarum aurium offensivas, novas in vera mystica, periculosas in praxi, erroribus damnatis Molinismi proximas, & ad ipsos damnatos errores viam aperientes; Judicialis Censura non attinet ad nos, juxta Decretum Ss. Innocentii Undecimi. Propositiones autem sunt quinque sequentes.

Prima propositio. Deus in hac providentia permittere valet, de factoque Diabolo

permittit, ut nonnullas Animas Sanctas obsideat ipsisque creaturis sic obsessis violentiam inferat manibus, & membris corporalibus ipsarum (nolentibus ipsis) ad actiones exteriores prohibitas, & actus externos ex se peccaminosos, sine offuscatione mentis; advertente illarum ratione: & hoc exercitium est mystica purgatio passiva sensus, ad ipsas Animas elevandas, transformandas, & uniendas cum ipso Deo.

Secunda propositio. Supradictæ Dæmonis violentiæ ad actiones exteriores prohibitas, & actus externos ex se peccaminosos, evenire possunt in actibus veneris, inhonestis & turpibus, cum advertentia ipsius creaturæ patientis; & hoc pariter est mystica purgatio passiva sensus, quæ conducit ad purificandas animas, easque ad transformationem, & Unionem Divinam elevandas.

Tertia propositio. Ipsæ Dæmonis violentiæ in actibus veneris exterioribus ex se peccaminosis, & actibus externis ex se malis, evenire possunt, advertente ratione, & sine offuscatione mentis, inter duas personas, una cum alia, absque peccato neutrius: & hoc similiter est mystica pur-

purgatio passiva sensus, conducens ad purificandas Animas, easque humiliandas, & elevandas ad veram transformationem, & unionem mysticam Divinam.

Prop. 4. Quarta propositio. Hujusmodi Obsessiones, & violentias pati, signum est proficiendi in via Spiritus; ita ut quod plus Anima ad perfectionem ducitur, & prope- rat, magis talibus violentiarum exercitiis abundet.

Prop. 5. Quinta propositio. Non oportet, Animam patientem de talibus impuris, & turpibus violentiis confiteri, nec de eis aliquid loqui, nisi cum Directore perito, aliàs de perfectione talis Animæ benè conscio.

Circa præinsertas hujusmodi quinque propositiones, nonnulli contendunt, non esse formaliter, nec illativè damnatas ab Innocentio Undecimo in damnatis propositionibus Michaelis de Molinos, propter rationes infra videndas. Ego autem, nec limitare, nec extendere damnationem Ecclesiæ desiderans, contra ipsas quinque propositiones authoritatibus, & rationibus discurrem.

1. Cor. 3. Prima ratio. Ex Apostolo dicitur: Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: ergo non

permittit Diabolo, violentiam inferre creaturis, ad actiones ex se malas, & prohibitas, maxime in rebus veneris, & inhonestis.

Dices: Semper est in libertate creaturæ non consentire; sed absque consensu non est peccatum, quin potius meritum: ergo adhuc concessis Diaboli violentiis in propositionibus relatis, non patitur Deus, nos tentari supra id quod possumus substinere. Min. liquet ex illa sententia Sanctæ Lucæ ad tyrannum: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Confirm. argum. Stante fidelitate Dei, qua non patitur nos tentari supra id, quod possumus substinere, compatitur Deum permittere quod homo violentè opprimat virginem, quæ certè non peccat sine libero consensu, quin potius adauget meritum juxta resistantiæ gradum: ergo idipsum permittitur Diabolo, stante fidelitate Dei cum creaturis humanis.

Resp. ad arg. dist. Inter violentiam illatam à Diabolo, & ab homine. Diabolus enim eodem tempore, quo faceret violentiam in corpore, posset insimul species obscenissimas excitare in imaginationes; & ex utroque, nimirum ex vo-

Die 13.
Decemb.
Leit. 6.

Infr. ad
arg. 22.

Joann. 8.
v. 50.

Innoc.
XI. die 2.
Mari. an.
no 1699.
Prop. 1.

luptate carnis, & ex alliectione imaginis, ferè insturperabilis consurgeret creaturæ tentatio, maximè in voluptate venerea, cui prona est suprâ modum nostra mortalitas infirmitas. Homo verò, dum violentiam inferret feminæ, ipsa nolente, non posset species turpes in imaginatione suscitare, sicut Diabolus.

Matth.
13. ̄.
14.

Alia distinctio reperitur inter Diabolum, & hominem. Homo quidem in sua est omnimoda libertate ad quæcumque velit, dum est viator: Diabolus autem ligatus est, ut infrâ dicitur: non ergo bene arguitur ex permissionibus homini concessis, ad permissiones Diaboli concedendas: si enim Diabolo concederetur permissio ad quæcumque vellet, sicut conceditur homini viatori, destrueret, & confunderet mundum.

Ex his deduces solutionem argumenti. Reverà violentia corporalis non evertit libertatem ad consensum, absolute loquendo; imò neque species imaginationis à Diabolo suscitatae necessitant: valde tamen debilitare possunt creaturæ libertatem, si in subjecta turpitudinis materia Diabolus faceret intus, & foris quiddam facere vellet.

Præterea, concessa Dei per-

missione, ut homo violenter vellet opprimere virginem, ipsa virgo libera manet, ut interiorius, & exteriorius possit resistere, vim vi repellendo, & industria, sicut non semel evenisse legimus; sed concessa Dei permissione, ut Diabolus violentiam inferat, non posset creatura saltem exteriori resistere cum effectu superante, ut ex se liquet, propter excessivam Diaboli fortitudinem, ut amplius infrâ dicemus: ergo saltem in exteriori permetteret Deus creaturam tentari suprâ id, quod potest sustinere: ergo paritas de concessionem homini facta, non vincit ad permissionem Diabolo concedendam.

Secunda ratio. Ex Epistola Canonica Sancti Jacobi Apostoli, ubi dicitur: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua, &c.* Sed concessis Diaboli violentiis suprâ relatis non tentaretur creatura à concupiscentia sua, sed à violentia Diaboli, ex speciali permissione Divina: ergo, &c.

Tertia ratio. Ex Magno Augustino dicente: *Ante adventum Christi solutus erat Diabolus: Venit ergo Christi,*

Jac. 1.
v. 13.
& seq.

S. Aug.
Ser. 179.
de Temp.

nis, & alligavit Diabolum. Sed dicit aliquis: si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, quia multum prævalet: sed tepis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis: latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: ergo in hac providentia non est Diabolo permissum, quod violentiam inferat, maxime relatis modis, quibus dicitur in propositionibus suprâ transcriptis.

Ratio quarta. Altissimus Deus ad opera nostra bona non infert nobis violentiam aliquam, etiam in corpore: ergo neque permittit Diabolo, quod ad opera mala violentet corpora nostra. Consequenter suadet; quoniam non est Diabolo concedenda major potestas ad malum, quam qua Deus piissimus in nobis utitur ad bonum; sed Deus in bonum nostrum solum utitur auxiliis, suasionibus, & nulla utitur violentia, etiam in corpora nostra: ergo neque Diabolo permittit violentias suprâ relatas, inferre.

Ratio quinta. Deus puritatis, & virginitatis amator, non solum diligit puritatem,

& castitatem in anima, sed etiam in corpore: ergo non permittit Diabolo quod violenter corrumpat corpora casta Animarum Sanctarum actibus turpissimis, ad ipsas animas amplius purificandas: aliàs lavarentur in volutabro luti, sicut Sus immunda.

Ratio Sexta. Ex Sap. 1. v. 4. ubi dicitur: *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* ergo non solum quaritur à Deo sanctitas animæ, sed etiam diligitur ab eo castitas corporis.

Ratio Septima. Ex Hymno Completorii, ubi sic Dominum oramus: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmatum; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora:* igitur longè distat ab Ecclesiæ spiritu, quo ducimur in hac solemnī deprecatione quisquis, cogitat, obscenas Diaboli violentias, & pollutiones impudicis tactibus excitatas, non in somno, sed in vigilia patientis, esse mysticas purgationes passivæ sensus creature, ut in via spiritus perficiatur.

Ratio octava. Ex libro S. Job; ubi dicitur de Diabolo: *Ecce, absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiducia, quod insuat Jordani*

1. Pet.
2. v. 1.
8 ap. 1.
v. 4.

Hymn.
Comp. v.
2.

Job. 40.
v. 18.

Rt
nis

Orat. Eccl.
cler.

nis in os ejus: ergo non permittitur Diabolo quidquid ipse vellet, & posset facere; aliàs subverteret mundum, & omnia confunderet; ergo neque permittuntur ei obscœnissimæ violentiæ, in supradictis propositionibus relata.

S. Hier.
ad P^a
macb.

Ratio nona. Ex S. Hieronymo ad Pamachium, cui ait: *Cur post annos quadringentos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Asserton es novorum dogmatum, &c.* ergo quæ Sancti Apostoli, aut Sancti Patres Ecclesiæ non docuerunt, repellenda sunt à nobis; sed de relatis Diaboli violentiis nihil Sancti Patres, vel Doctores Mistici antiqui dixerunt; ergo, &c.

Angel.
D. & Seraph.
Bona.
nav.

Ratio decima. Ex SS. PP. Angelico Thoma, & Seraphico Bonaventura. Primus quidem Op. 64. de modo confitendi, tit. De periculo familiaritatis, hæc ait: *Quod super omnia videtur mihi horrendum, Deo Angelis, hominibus, ac Dæmonibus, est, quod tales persone in excusationem suæ libidinis præsumperunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo: quod nihil aliud iudicio esse, nisi quoddam incitantium*

indulgentium ad similia securius intrandum, & pejora perpetrandum. Quid enim ad Spiritum Sanctum de tabulis, & oculis, &c. Consilia scribit Seraphicus Doctor, tract. de modo confitendi, c. 14. Extensius videatur autoritas Angelici Magistri in Speculo Viri Sapientis, lib. 7. cap. 4. pag. 43. à n. 101. & sequent. ergo Diaboli violentiæ, excogitatae ad perficiendas animas, expressè deviant à Sanctis Patribus, & Doctoribus Misticis: ergo tales propositiones temerariæ videntur.

Ratio undecima. In Magistris novissimis Theologiæ Misticæ, scilicet, Seraphica Teresia à Jesu, Beato Joanne à Cruce, & experto S. Petro de Alcantara, nihil invenitur de tali purgatione passiva sensus: ergo neque in antiquis, neque in novissimis celebrioribus Doctrinæ Misticæ libris quidquam invenitur de talibus Diaboli violentiis turpibus, & inhonestis, ad purgandas animas: ergo talis doctrina nova videtur, & prorsus temeraria.

Ratio duodecima. Ex miraculis magnis, quæ fecit Altissimus Deus, ad tuendam castitatem Corporum Sanctarum suarum, ut videre est in Sancta Lucia, quæ nulla vi di-

S. Ther.
B. Joan.
à Cruce,
S. Petr.
Ale.

S. Luc.
13. Decembr. S.
Eul. 12.
Feb. S.
Dnl. 10.
Decembr.
S. Dar. à
Leone de
senia 24.
Off.

dimoveri potuit, &c. Et in utraque Eulalia, Barchinensi videlicet, & Emeritensi, quarum nuda corpora nive miraculosa vestivit, & operuit Altissimus: ergo non solum castitas mentis, quin etiam corporis, sic diligitur à Deo in Animabus Sanctis, ut non permittat contra firman earum voluntatem violari: ergo Diabolo non permittit, &c.

Ratio tercladecima. Non fit verosimile, Deum modò permittere ad Sanctas efficiendas, quæ nunquam permisit ad purificandas animas, quæ jam credimus esse Sanctas; & Historiis Ecclesiasticis non constat, Deum unquam permisisse Diabolo, quod violaret Corpora Sanctarum illarum, quas nunc Ecclesia Romana celebrat ut verè Sanctas: ergo neque modò idipsum Diabolo permittit, &c.

Ratio quattadecima. Deus liberum fecit hominem, non solum interius ad velle, sed etiam exterius ad amorem membrorum sui corporis, quæ obediunt rationi; sed Deus Diabolo non permittit, quod violentet hominis libertatem internam animæ: ergo neque externam membrorum corporis. Quare autem hominibus hoc permittat, & non Dia-

bolo? Jam suprà diximus, & amplius infra dicemus.

Ratio quintadecima. Doctrina supradictarum quinque propositionum, multæ animæ deperditæ sunt, & illusa, ut experientia novimus; & faxit Altissimus, quod amplius non videamus: ergo talis doctrina in praxi periculosa, & scandalosa videtur.

Ratio decimasexta. Ferè omnes hæreses introductæ sunt, quærentes homines deperditæ viam invenire, ad honestandas turpitudines, easque licitas appellandas aliquo modo, ut SS. PP. autoritatibus videri potest in Biblioth. Lohner, verbo *Hæresis*, & in *Lib.* verb. *Luxuria*; sed ad hoc viam parabant dictæ propositiones, ut notum videtur; ergo, &c.

Ratio decimasseptima. Suprà relata quinquæ propositiones vias operiunt ad excusandas excusationes in peccatis; sed hoc scandalosum apparet: ergo scandalosa videntur. Prob. maj. Quoniam in quolibet opere scandaloso dicebatur, quod Diabolus fecit, & non creatura: ergo, &c.

Ratio decimasoctava. Animæ diligentes castitatem exhorrescunt, audientes, quod tales Diaboli violentiæ turpes, & obscœnæ veniunt

Rt 2 qua-

"Inf." ad
arg. 43.

"Inf." ad
arg. 40.

Lib.
in Bibl.

quarentibus perfectionem: ergo avertunt animas à via perfectionis: ergo doctrina talium propositionum scandalosa videtur, & piarum aurium offensiva.

Ratio decimanona. Adhuc in malitia tyranica inventum non est, quod homines suis propriis manibus, extranea, & aliena violentia agitat, seipsos interimant: ergo alienissimum apparet à pietate Divina permittere, quod Diabolus violentet manus creaturæ, ipsa creatura nolente, & advertente, ad tactus impudicos, & obscenos, ut ipsæ propositiones referunt.

Ratio vigesima. Concessis facile Diaboli violentiis ad actus externos ex se peccaminosos, & actiones exteriores à lege prohibitas, (creatura nolente, & sine peccato) totum mundi gubernium politicum, & criminale confunderet: ergo, &c. Prob. ant. Quoniam in qualibet actione mala statim foret excusatio, dicens: *Diabolus fecit hoc, & non creatura.*

Ratio vigesimaprima. Concessis Diaboli violentiis, secundum quod in supra relatis propositionibus asserbarur, semel existimata obsessione in qualibet creatura, (quod iudicatur) nihil manebat in tali creatura curandum de

cuncta lege Divina: ergo, &c. Prob. ant. Quoniam sectatores talium propositionum asserbant, Diaboli violentias extendi ad omnia opera ex se mala, & prohibita, nimirum ad blasphemias, iuramenta falsa, execrationes, despectus Sacrarum imaginum, & Reliquiarum, & Santissimi Sacramenti, verba inhonesta, tactus impudicos, & obscenos, fornicationes, sodomias, turpitudines inter masculum, & masculum, & foeminam, & foeminam, furta, homicidia, inobedientias, contemptus Prælatorum, &c. Nihilque horum dicebant esse peccatum, quia non à creatura, sed à violentia Diaboli procedunt in obsessis: ergo semel concessa obsessione (quæ difficillimè probatur, in individuo determinato, ut infra videbimus) nihil est curandum in tali creatura de cuncta lege Divina: Quid absurdius?

Ratio vigesimasecunda. Purgationes passivæ regulariter eveniunt Animæ sanctæ post diurnas purgationes activas, ut ait. B. Joannes à Cruce; sed sectatores talium propositionum adstruebant faciliter obsessiones, & Diaboli violentias mulierculis juvenibus, incrassatis, impinguentibus, & impatientibus: ergo ab-

Vid. Hist.
Sanct.

Apert.
Kor.

S. Aug.
de Mir.
Christi.

B. Joan.
à Cruce.
lib. 1. in
Not. obs.
cur.

absquæ ratione tales turpitudines vocabant purgationes passivas.

Ratio vigesimatertia. Paucis ab hinc annis hoc malum increvit, presertim in foeminis, in illis maximè, quæ cum Directoribus defensantibus obsessiones, & has ad perfectionem ducere confitebantur: ergo magna suspicio resultat, potius suis imaginationes, aut fictiones, quam obsessiones.

Ratio vigesimaquarta. Ex tot, & tantis mulieribus obsessis, sicut dicunt, aut dicebant Directores obsessorii, non vidimus spirituales fructum, lingua Cœlorum, quæ sunt miracula, contestatum: ergo suspicio resultat, illusiones fuisse tales obsessiones, violentiasque Diaboli, potius fuisse deceptiones passivas, quam purgationes passivas.

Ratio vigesimaquinta. Si ad aliquid possent deservire tales involuntariæ violentiæ, foret maximè ad humiliandas Animas; sed ad hoc non deserviunt in concreto propositionum: ergo, &c. Prob. min. Nam Directores eis asserverant, quod non peccant, quin potius meritum adaugent; quod non confiteantur, quod certè proficiunt, quod improperant, & elevantur ad unionem mysticam cum Deo,

Ex Prag.
nonnull.

&c. sed in his omnibus magis est incitamentum superbia, quam humiliationis: ergo, &c.

Ratio vigesimasexta. Hujusmodi mulieres obsessæ regulariter abundabant cum illis Directoribus, & confessoribus, qui nullum esse peccatum in violentiis impuris, & obscænis sustinebant; ita ut apud ipsos ferè omnes filia spirituales apparebant obsessæ; sed ex hoc resultat mala suspicio: ergo, &c. Prob. min. Dum in uno loco magis infirmantur homines, quam in alio, non levis oritur suspicio, quod infirmandi ratio sumitur à loco. Similiter, quoniam ex conversatione unius viri scrupulosus resultat, multos spiritualiter infirmari scrupulis, dicimus infirmitatem scrupulorum esse contagiosam; sed hoc etiam evenit in obsessis, dum Director opinatur, violentias relatas pati, fore signum spiritualiter proficiendi: ergo, &c.

Vigilandum ergo est in Communicatibus femininarum: quoniam si Sorores sciunt, Directorem ex illis esse, qui Obsessiones enumerant inter signa proficiendi, certissimè Obsessiones abundabunt, veræ, vel falsæ. Infirmitas Obsessionum videtur contagiosa, & scabies vene-

Exp. test.

rea quasi pestis communica-
tur.

Molinos
Prop. 41. Ratio vigesimaseptima.
Damnata propositiones infel-
licis Michaelis de Molinos
in subjecta materia sunt se-
quentes. Propositio 41. sic
ait: Deus permittit, & vult
pro nostra humiliatione, &
ad faciendum nos pervenire
ad veram transformationem
in aliquibus perfectis anima-
bus (licet arreptitia non
sint), quod Dæmon violentiam
inferat suis corporibus, fac-
iatque illos patrare actus
carnales, adhuc in vigilia,
& absque offuscatione men-
tis, illis physice movens ma-
nus, & alia membra contra
eorum voluntatem: & idem
dicitur in ordine ad alios ac-
tus per se peccaminosos, in
quo casu (quia abest consen-
sus) peccata non sunt. Dam-
nata.

Prop. 42. Potest dari casus
in quo ista violentia ac-
tum carnalium fiant eodem
tempore, & duabus personis,
puta masculo, & femina, &
ex parte amborum sequatur
actus. Damnata.

Molinos
Prop. 43. Prop. 43. Præteritis tem-
poribus Deus medio tyranno-
rum Sanctos formabat: hodie
eos facit medio Dæmonum, qui
dicitur violentias operantes,
agunt, quod ille multum se hu-
milient, & anihilentur, se-

que Deo resignent. Damnata.

Molinos
Prop. 46. Prop. 46. Hujusmodi vio-
lentie turpes, sunt medium
proportionatum ad anihilatio-
nem mysticam Anima, & ut
perveniat ad veram transfor-
mationem, & unionem, &
non est alia via facillior, &
securior. Damnata.

Molinos
Prop. 48. Prop. 48. Diabolus qui
facit tales violentias, postea
suggerit esse magna peccata,
ut Anima conturbetur, &
non proficiat: quapropter
oportet non confiteri, quoniam
nec adhuc sunt peccata ven-
nialia. Damnata.

Conferantur istæ quinque
damnata propositiones Mo-
linos cum aliis quinque pro-
positionibus, quassuprà transcrip-
tissimus, & consideranti
patebit, quantum istæ ad il-
las aproximentur. Illud pro-
positionis 41. ubi dicitur: Li-
cet arreptitia non sint: est
implicantia manifesta; quon-
iam implicat, Diabolum
arripere violenter manus crea-
turæ, quin creatura sit arrepta,
vel arreptitia. In hoc er-
go non stat rota vis, ut dam-
nata judicetur talis propo-
sitio.

Ratio vigesima octava.
Vaticinatum est tempus, in
quo Magistri mendaces in-
troducent sceleris perditionis:
& multi sequentur eorum lu-
xurias, per quos via veritatis
blas-

2. Petr. 2.
1. 26.

blasphemabitur; ut Princeps
Apostolorum prædicit: ergo
vigilandum nobis est, ne
turpitudines, & luxuriæ, & in-
decantur sub specie virtutis;
sed supradictæ turpitudines
introducæ sunt sub specie
virtutis: ergo, &c.

cap. 11.
v. 17. Ratio vigesimanona. Cor-
pus quod corrumpitur, ag-
gravat Animam: ergo cor-
ruptionibus nefandis, & pol-
lutionibus corporis impudi-
cis, non purgatur Anima. Mu-
lier innupta, & virgo cogi-
tat, quæ Domini sunt, ut sit
sancta corpore & spiritu, ait
Apostolus: ergo non solum
spiritus, sed etiam corpus
servandum est à turpitudine.

S. Grego.
Contrar.
1. c. Ratio trigesima. Omnia
media sunt fini proportionan-
da: sed violentiæ turpissimæ,
& obscenæ, maledictiones,
blasphemæ, despectus sacrarum
Imaginum, irreverentiæ in
Sanctissimum Eucharistiæ Sa-
cramentum, &c. non sunt
proportionata ad mysticam
purgationem passivam sensus:
ergo, &c. Min. suad.
1. Quia non delitiis corpora-
libus obscenæ, & turpibus,
sed mortificationibus amaris
purgantur sensus. Sic Altissi-
mus Diabolo permisit, ut
flagellaret Franciscum, per-
terrefaceret Antonium, &c.

Eadem min. suadetur. 2.
ex Ang. Doct. in hujusmodi

materia dicente: Quid enim
ad Spiritum Sanctum de tac-
tibus, & oculis? Que con-
ventio spiritus ad libidinem
carnis, &c. Et Seraph. Doct.
Bon. ubi
supr.
Angel.
Doct. &
Seraphic.
Bon. ubi
supr.

cap. 4.
Math. 4. Ratio trigesimaprima. Ex
tentationibus Christi Domi-
ni. Assumpsit cum Diabolo
in Sanctam Civitatem, &
statuit eum supra pinnaculum
Templi, & dixit ei: Mitte te
deorsum. Iterum assumpsit
eum Diabolo in montem ex-
celsum valde, &c. Hæc om-
nia permissa sunt Diabolo,
non autem permissum est ei,
quod assumeret linguam il-
lius ad proferendas blasphemias,
neque manus illius ad
opera prava: ergo, &c.

Ex Cornel.
Alap.
in
Math. 4. Confirm. ex Cornel. Alap.
in cap. 4. Math. v. 7. ubi ait,
Modo, quo Christum tenta-
vit Diabolus, dicens ei: Mit-
te te deorsum: hæc omnia
tibi dado, si cadens, &c. tenta-
rat etiam Justos, & Sanctos:
non præcipit eos, sed suadet,
ut ipsi se præcipitent; non
proicit eos; sed incitat, &
alliecit, ut ipsi liberè cadant:
ergo, &c.

Ratio trigesimasecunda.
Ex Apostolis, quibus nonnul-

lus in aliis materiis defectus permisit Altissimus; in rebus autem veneretis, & turpibus non permisit eis, quod foederentur, ut notat eruditus Marchant: ergo, &c. *Confirm.* Nam permittente Domino, ut in Passione sua Sanctissima innumerat faceret ei homines irreverentias: & soluto Diabolo in illis verbis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: tamen, neque Diabolo, neque hominibus permissum est, ut in materia impuritatis, & turpitudinis illuderent ei, sicut advertit Ven. Gracchurithana: ergo, &c.

Ratio trigesima tertia. Ex periculosa doctrina, illa dicitur talis, quæ licet speculative non sit falsa; tamen practice propter periculum, & scandalum redditur impracticabilis, & hoc sufficit ut prohibeatur, ut ait Magister Lumbier; sed hujusmodi ad minus videntur propositiones relatæ, de quibus est questio; ergo, &c. Prob. min. ex supra positis rationibus, imò, & ex frequentibus experientis muliercularum, quæ perditæ sunt, sub dissimulato pallio violentiarum Diaboli.

Ratio trigesima quarta. Ex Oratione Dominica, ubi rogamus Altissimum Patrem, Ne nos inducat in tentatio-

nem: quod amplius videretur, quam orare, ne sinat nos cadere, &c.

Ratio trigesima quinta. Creatura tenetur resistere Diabolo, non solum interius, ne consentiat in opus primum; sed etiam exterius, ne violetur corpus illius opere pravo; ergo concessis Diaboli violentiis ex permissione Divina, teneretur creatura ad impossibile. Prob. conseq. Vires Diaboli cum permissione Divina sunt insuperabiles à creatura: ergo si creatura tenetur resistere violentiæ Diaboli, ut est certum, tenetur ad impossibile, concessa permissione Divina; sed hoc non est dicendum: ergo, &c.

Ratio trigesima sexta. Ex SS. PP. unanimiter dicentibus, Diabolum nos tentare suggestione, allicitatione, promissione falsa, delectatione, dolo, & propositione fallaci; sed nullus ex SS. PP. usque modò dixit, tentare per vim: ergo, &c. Min. mihi certa est. Si contrarii testimonium Sanctorum Patrum inveniunt, afferant illud. Quæ hucusque protulerunt, opponam in argumentis.

Ratio trigesima septima.

Ex Prop. 17. Molinosi, quæ sic ait: *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione Anima nostra,*

Ap. Loh. in Bibliot. verb. Luxuria, & verb. Damona.

Prop. 17: inf. Melin.

tra, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria: & si natura commoveretur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura. Redargutus turpis Molinos, super hac inhonesta propositione, quasi per effugium appellavit ad violentias Diaboli, ratione oppressus quod actiones manuum, libertati creaturæ subditarum, tribui non poterant ipsi naturæ, ut natura est: ergo hujusmodi violentiæ turpes damnatæ sunt, sicut, & alia Molinosæ propositiones.

Effug. See.

Epist. 5. §. 11.

Ratio trigesima octava. Ex Apostolo præmonente nos, ne decipiamur, & dicente: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est, & dicere.* His Apostoli verbis arguente me, & interrogante, quo libertate fugiunt arreptitii prætensi ab oculis aliorum hominum ad suas turpitudines efficiendas, & adveniente aliquo desistunt ab eis? Dicitur est mihi, quod utrumque procedit ab astutia Diaboli. Unde novi, quod ad lumen eorum clausa est janua. Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere: *Deus meus*

impolluta via ejus. Hoc suo. *Ratio trigesima nona.* Ex y. 31. alia ipsius Apostoli sententia, *Galat. 5. quæ ait: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* Nunc ergo Molinosi, dicite mihi. Si hæc omnia facit Diabolus per vos in personis spiritualibus; & tanto magis, quanto magis spirituales sunt, ut dicitis, & horret; in quo manifesta erunt opera carnis? Si spiritu vivimus spiritu ambulemus. Nolite ergo errare, quia Deus non irridetur.

Ratio quadragesima. Cum ipsius Apostoli verbis, quibus Galatas arguebat, licet ad alium finem: *O mensati Galata inquit, sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Nunc igitur ad vos, Directores Molinosi. Videte, ne quod benè cœptum est in spiritu veritatis, finiatur in operibus carnis. Dum Anima decepta dicit, se pati violentias spurcas manuum suarum, dicitis, quod signum est proficiendi. Potius attendite ad Apostolum Paulum dicentem: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, (Non solum spiritus, sed etiam carnis) perficientes*

Pr. 17. Galat. 5. y. 16. 19.

Galat. 3. y. 1. 10.

1. Cor. 5. y. 11.

sanc.

Hort. Part. in Vit. Aaron. Lect. 8. p. 88.

Magister Lumb. in Prop. Inn. ad y. 2.

Orat. Domin. in.

sanctificationem in timore Dei.
Capite nos.

Ratio quadragesimaprimum.
Jer. 18. Ex amara Domini querela
contra Virginem Israël, id
est, Animam, ambulante[m]
viam sæculi in itinere non tri-
to, in perditionem & rui-
nam. Et quid est aliud hæc
nova via violentiarum Dia-
boli spurcarum, nisi iter non
tritum, nec à Sanctis Patri-
bus cognitum ad perficien-
das Animas, ad eas elevan-
das, & transformandas, ad
unionem mysticam cum Deo,
& ad Sanctas efficiendas?
Quæ enim participatio esse
iustitiæ cum iniquitate? Chris-
tus Dominus est Via, Veritas,
& Vita. *Hæc erit tibi semi-
ta, & Via, & via sancta*

Isai. 35.
V. 8.

*vocabitur: non transit per
eam pollutus, (Attende miser)
& hæc erit vobis directa
Via, ita ut stulti non errent
per eam. Hæc Isaias Pro-
pheta.*

Ephe. 4.
V. 14.

Ratio quadragesimase-
cunda. Ex Apostolica Pauli
doctrina, qua exhortamur,
ut non simus parvuli fluctuan-
tes, & circumferamur omni
vento doctrinæ in nequitia ho-
minum, in astutia ad circum-
ventionem erroris: *Non am-
buletis cum illis, qui despe-
rantes, semetipsos tradiderunt
impudicitia, in opera-
tionem immunditiae omnis in*

avaritiam. Sic fuerunt infelices
Molinosi turpissimi. Fugiamus
igitur ab eis, quia via
illorum tenebræ, & lubricum:
& os lubricum operatur
ruinas, ait Sapiens.

Prov. 16.
V. 28.

Ratio quadragesimater-
tia. Nonnullas novimus ex
illis personis, quæ vocabantur
arrepitiæ, & est valde
mirandum, quod esto reple-
rentur obscenitatibus turpis-
simis: nulla earum se projecit
in spinas ad tentationes sen-
dendas, ut Sanctus Benedictus;
neque in prunas, neque in
vepres, neque in nivem gelidam,
ut Seraphicus P. N. S. Francis-
cus; neque apposuit sibi ignem
materiale[m] ad extinguendum
ignem concupiscentiæ, ut Sancta
Angela de Fulgino, neque arcta
jejunia sectantur, ut consulit
S. Athanasius, dicens: *Quisquis
ab immundo spiritu vexatur, si
jejunio utatur, statim spiritus
malus oppressus abscedit:*

Vit. Santa
Angela.
Fulginc.
1. 5. d. 6.
si. 1. 2. de
Virg.

ergo signum est, relatas ob-
sessiones, & violentias esse
potius illusiones, & decep-
tiones creaturarum immortifi-
catarum.

Ratio quadragesimaquar-
ta. De nulla creatura nobis
constat, esse plenius traditam
potestati Dæmonis, quam
Sanctus Job, in quo solummodo
Anima reservata est; sed
licet aliàs pateretur arreptio-
nes,

Job. 1.
V. 6.

nes, hæc tamen nefandam,
turpem, & obscenam violentiam
propriis manibus non est
passus, ut ex propositione
46. Molinosi damnata satis
constat: ergo, &c.

Ratio quadragesimaquin-
ta. Etiam Magnus Apostolus
Paulus traditus est Angelo
Satanae; sed non est passus
hujusmodi violentias turpes,
ut ex propositione damnata
45. ipsius Hæresiarchæ constat:
ergo, &c.

Ratio quadragesimasexta.
Diabolo data est quasi generalis
potestas in Christum Domi-
num, illis verbis: *Hæc est
hora vestra, & potestas tenebrarum;*
sed licet tot, & tanta indignissima
cum Domino facta sint, tamen nihil
turpe Diabolo permissum est
in Christo fieri, ut bene no-
tat, divinitus illuminata, ut
piè credimus, venerabilis
Græchuritana nostra: ergo,
&c.

Ratio quadragesimasep-
tesima. Sectatores Violentiarum
Diaboli turpium, de quibus
disputamus, nullum clarum,
& apertum Scripturæ Sacræ,
aut Sanctorum Patrum
testimonium afferunt; sed
unum aut aliud verbum dislo-
catum allegant, aut exem-
plar dissimile contextantur,
ut satis patebit in solutione
argumentorum: ergo, &c.

Ratio quadragesimaoctava.
Etiam gentiles ex Libris
Ecclesiæ Sacris scrutabantur
similitudines Simulachrorum
suorum, ut aperte constat ex
Libro Primo Machabæorum:
ergo licet Sectatores opposita
doctrinæ idipsum faciant,
dum non convincant, repel-
lendi sunt.

Ratio quadragesimanona.
Pias aures offendit, scandalum
simplicibus, & cordatis affert
audire, quod Animæ sunt
sanctæ, & elevantur ad Uni-
onem mysticam, & transfor-
mationem cum Deo, mediis
ræctibus turpibus, manibus
propriis ex violentia Dæmoni-
s, ipsis vigilantibus absque
animi turbatione, ut ex se
liquet, & amplius suadebitur:
ergo, &c.

Ratio quinquagesima. Mit-
timus, & concedimus, Diabolum,
permittente Deo, posse arripere
manus creaturæ ad actiones
turpes. Unde autem ex hoc
infernus Molinose, Deum hoc
de facto Diabolo permittente
ad elevandas Animas, ipsis
nolentibus? Naturaliter
posset Diabolus secreta
cordium humanarum intel-
ligere, nisi impediretur à
Deo, in via Subtilium: ergo
de facto non impeditur? Fal-
sa consequentia in ipsa Scho-
la. Nam Diabolo permittitur
à Deo, quicquid ipse facere
pos-

Ex qua
1. f. Prop.

Subtil. D.
in a. dist.
10. & in
Reperit.

posset cum permissione Dei.

De hoc amplius infra.

Concludamus ergo, Deum in hac providentia non permittere, etiam obsessione concessa, Diabolum vim facere ad actus illicitos, maxime in personis Sanctis, nec ut eas Sanctas efficiat assumendo linguam, vel manus earum, advertente ratione, ut ipsis nolentibus efficiant exterius opera prava. Quid autem Dominus Diabolo permittat, & in quibus personis? Dicemus in solutione argumentorum.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Rem. 7.
y. 19.

ARG. 1. ex Apostolo dicente: *Non enim quod bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum est* sed hoc inducit Diaboli violentiam in malum, creatura nolente: ergo, &c. Resp. neg. min. quoniam solum loquitur Apostolus de vehementi inclinatione ad malum, & motibus sui corporis indeliberatis, juxta illud: *Sentio aliam legem in membris meis, contrariam legi mentis meae, &c.*

S. Bern.

Serm. 81.

Vide S. Bernard. in Edit. noviss. lib. 3. Serm. 31. pag. 132. col. 2. Non ergo loquitur Paulus de violentiis turpi-

bis Diaboli, ut voluit Hæresiarcha Molinos in propositione 45. damnata.

Arg. 2. S. Job blasphemavit; sed textus sacer assererat, quod non peccavit Job labiis suis: ergo signum est, quod blasphemia illius ex violentia Diaboli processerunt Resp. propositionem argumenti esse ab Ecclesia damnatam, ut liquet in propositione 44. infelicis Michaelis de Molinos.

Job. 15.
y. 16.

Arg. 3. Per violentiam Dæmonis agebat Job pollutiones propriis manibus, eo ipso tempore, quo mundas ad Deum habebat preces: ergo, &c. Resp. hanc propositionem blasphemam fuisse, pariter errorem ipsius Hæretici Molinos, ut patet in ejus propositione 49. damnata, ubi scandalosa temeritate voluit exponere, cap. 16. S. Job.

Arg. 4. Si propter aliquam rationem non permitteret Deus Diabolo faceret violentias in creatura, maxime, quia propter eas tolleretur creatura libertatem: sed hoc est falsum: ergo, &c. Prob. min. Violentia corporis exterior non tollit libertatem mentis, & voluntatis ad dissentium, ut ex se liquet: ergo, &c. Resp. neg. majorem, quia non est propter id solum, sed

Inf. ad
arg. 40.

prop.

propter quinquaginta rationes superius oblatas.

Arg. 5. Innegabiles absolute sunt nonnullæ violentiæ Diaboli, ejusque arreptiones violentæ contra voluntatem creaturæ: ergo, &c. Prob. ant. ex Abulensi in Matth. cap. 8. quæst. 113. Resp. esse innegabiles Diaboli violentias, & arreptiones ad actus ex se non peccaminosos, aut ex lege prohibitos.

Abul. in
8. Matth.

Instabis. Etiam constat de Diaboli violentiis ad actus ex se peccaminosos, aut lege prohibitos: ergo, &c. Prob. ant. Prohibitum est occidere homines: sed obsessi Matth. 8. v. 28. savi erant nimis, & Diabolus Asmodæus occidit viros Saræ, ut legitur in Li-

Tob. 3. y.
2.

bro Tobia: ergo, &c. Resp. pariter hujusmodi violentias esse nonnumquam Diabolo permissas, ut etiam constat ex Matth. 8. v. 29. Verum istæ permissiones date Diabolo valde disant à permissionibus, de quibus loquitur in presenti, nimirum de violentiis Diaboli ad actus pravae, mediis manibus, & membris ipsius creaturæ, cum advertentia ipsius creaturæ, & non turbata ejus ratione, ad majorem ipsius Anima perfectionem, & mysticam purgationem sensus, &c.

Replicabis. Etiam constat

de Diaboli violentiis ad actus pravae manibus, & membris ipsius creaturæ: ergo, &c. Marc. 1. Prob. antec. ex Marc. 1. v. 26. y. 16. ubi dicitur: *Et discernens eum aivi.* (id est hominem) *spiritus immundus, exiit ab eo.* Et cap. 9. v. 25. dicitur: *Et multum discernens eum, exiit ab eo,* id est ab homine: sed discernere est manibus propriis se lædere agitatione, & violentia Diaboli, & hi actus ex se sunt mali: ergo, &c. Resp. nihil argumentum concludere, quoniam nec de violentiis impuris agitur in eo, nec advertente ratione, nec in persona sancta ad majorem creaturæ perfectionem, & purgationem passivam sensus, &c.

Marc. 16.

Iterum replicabis. In eodem cap. 1. Marc. v. 23. spiritus ille vocatur immundus: sed constat, ei fuisse permissas violentias ad actus pravae: ergo etiam ad actus immundos, & turpes. Resp. ex Sacro textu non constare, talem Diabolum immundum fecisse violentias impuras, turpes, & inhonestas manibus creaturæ, ipsa creatura nolente, & advertente.

Inf. ad
arg. 43.

Arg. 6. Majus peccatum est peccatum blasphemiae, quam peccatum turpitudinis & inhonestitatis; sed Diabolo permittitur, quod violenti-

len-

lenter linguam creaturæ ad proferendas blasphemias, ipsa creatura nolente, & advertente: ergo pariter Diabolo permittitur, quod violentent manus creaturæ ad tactus impudicos, ipsa creatura nollente, & advertente. Resp. 1. data minori, neg. conseq. & pariter, quoniam creatura non est sic inclinata ad blasphemias, sicut ad turpitudines, & impudicitias: quin potius blasphemias abhorret.

Ex Sum.
Mor. 2. p.
sup. 6.
Præcep.

Confirm. hæc argumenti solutio ex recepta Theologia docente, hunc actum: *Si non esset peccatum, comederem carnem in die Veneris*, non esse peccaminosum: hunc verò actum: *Si non esset peccatum, fornicarem cum Berta*, esse peccaminosum, quoniam in rebus veneris prouissima est nostra mortalis infirmitas, & delectatio proveniens ex tali actu est mortalis: ergo non valet argumentum de violentiis ad blasphemias (permisso quod dentur in personis Sanctis tales violentiæ) ad violentias in rebus veneris.

S. Gregor.
Hom. 16.
in Evan-
gel.

Idipsum roboratur ex S. Greg. Papa, dicente: *Nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensu labimur.* Nota causalem, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis

etiam gerimus, unde certamina toleramus: ergo valde diversa sunt in nobis tentationes carnis ab illis tentationibus.

Resp. 2. Permissiones Diabolo concessas esse in duplici differentia, alias in pœnam peccati, & castigationem creaturæ, sive in remedium, & curationem alicujus peccati ipsius creaturæ: alias autem ad exercitium virtutis, & ad majorem Animæ perfectionem, transformationem, &c. De primis non loquimur. De secundis autem loquendo,

Inf. ad
arg. 3.

negamus totum argumentum; quoniam durissimum fit intelligere, & credere, Deum permittere, creaturam dilectam, & sanctam, ipsa nolente, blasphemare, fornicari, &c. Et horret dicere hæc pati fore media, ut creatura sanctior fiat. Deus quidem in animabus castis, puris, & virtuosis, non permittit similes obscœnas violentias; nec locum præbet Diabolo, ut ita dominetur earum corporibus.

S. Aug.

Arg. 7. Ex Aug. dicente: *Peccatum non est motus sentire, sed motibus consentire.* ergo sola violentia corporalis in quacumque materia peccati, dummodo voluntas non consentiat, non est peccatum, quin potius meritum; ergo in violentiis Diaboli, etiam

etiam impuris, dummodo voluntas creaturæ non consentiat, non peccat creatura, quin potius adauget meritum.

Angel.
Dati.

Resp. ex Ang. Doct. super illud Ephes. 5. *Nemo vos seducat inanibus verbis: ubi ait: Ut homines possent liberè frui concupiscentiis, cogitauerunt invenire rationes, quod fornicationes, & hujusmodi veneræ non essent peccata: ideo dicit inanibus verbis.* Et Seraph. Doct. Bonav. lib. 2. de Perfectu Religios. c. 75. dicit: *De his verò, qui aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, & continuo etiam carnalis delectationis pruritu illecti sedantur, ipsis inuitis nescio quid dicam, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem.* Hæc notabis: ut scientiam Sanctorum potius eligas.

Seraph.
Bonav.

S. Ant.
Abbat.
Lect. 5.

Arg. 8. Ex S. Antonio Abate, de quo dicit Ecclesia, *Abbat. quo innumerabiles Diaboli artes nocendi noverat:* Hic enim expertus de Diaboli tentationibus, defensavit arreptitium, & dixit fratribus suis: *Nolite alienam culpam juveni misero ascribere, furor iste obsidentis est non obsessi:* ergo violentia Diaboli in obsesso non est tribuenda creaturæ, sed Diabolo. Resp. concedendo totum; nihil autem

concludit de violentiis, de quibus est quæstio; præterquamquod non constat violentiam Diabolo permissam non fuisse in castigationem, sive remedium alicujus occulti peccati.

Arg. 9. In historiis fide dignis legitimis, mulieres virtuosas fuisse à Dæmonibus incubis oppressas, ipsis non consentientibus, & absque offuscatione mentis: ergo, &c. Prob. ant. ex Surio in vita B. Catharinæ Virginis, filie Sanctæ Birgitæ, die 12. Martii, ubi dicit, *Fœminam virtuosam Neapolitanam à Dæmone fuisse cognitam turpiter.* Et Delrius, lib. Disquis. Magicæ quæst. 11. adducit ex Niderio casum de Virgine honesta violentent, & contra suam voluntatem à Dæmone oppressa. Item in Hist. Cister. sive in Lib. Cister. in Vit. B. Ascelinæ legitimis consimile: ergo, &c.

Sur.
alii.

S. Aug.
ubi sup.

Resp. ex Magno Augustino, lib. 1. de Civ. Dei, c. 28. per tot. ubi super casum, quod hostes militares oppræsserant violentent nonnullas Virgines castas, & virtuosas, ipsis non consentientibus, dicit, *Incomprehensibilia sunt judicia Dei.* Forsan ipsa superbia laborabant, & tumbabant, &c. Ex quo videtur, has Divinas permissiones ad id tendere,

ut

ut majora mala vitentur, aut occultum malum curetur. *Hoc maxime nota.* Aliud est, Deum permittit Diabolo hujusmodi violentias in castigationem & remedium; aliud autem valde diversum est, eas permittit ad exercitium altissimæ perfectionis, nimirum, ad transformationem, & unionem mysticam Animæ cum Deo.

*Molin.
ubi sup.*

Replicabis. Tales violentiæ Diaboli solum occasionaliter conducunt ad exercitium altissimæ perfectionis, scilicet, ad humiliationem, transformationem, &c. sed in hoc sensu nullum ex eis sequitur inconveniens: ergo, &c. Prob. min. quia occasionaliter ex permissione peccati sequitur humiliatio creaturæ; & ejus vera conversio, nullum sequitur inconveniens ex permissione peccati; sed ex permissione peccati; sed ex permissione talium violentiarum sequitur humiliatio magna creaturæ, & quod ferventius tendat in Deum, & hoc absque peccato, quoniam sine consensu non est peccatum: ergo, &c.

Resp. quod hæc instantia nostrum confirmat intentum. Nam sicut permissio peccati conducit occasionaliter ad conversionem, & curationem peccatoris, juxta illud Sancti Hieronymi: *Morbus occultus*

superbia curatur permissione turpitudinis manifesta: sic Divina permissio de talibus Diaboli violentiis supponit Animam inquinatam. Quare non quia Anima proficit, quin potius quia deficit, permittit Deus Diabolo nonnulla ex iis, quæ supradicta sunt. Et violentiæ Diaboli turpes, si dantur, non sunt in creaturis perfectis, sed infectis; non quia proficit creatura, sed quia deficit.

Arg. 10. Divisio obsessionis in eam, quæ fit ex maleficio, & in eam quæ datur à Deo in exercitium, communissima est; sed non aliter bene intelligi potest, nisi dicatur, obsessionem per exercitium conducere ad majorem Animæ perfectionem, transformationem, & unionem mysticam: ergo, &c. Rep. neg. min. quoniam lato modo, etiam quæ dantur ad curationem Animæ infectæ, dicuntur obsessiones ad exercitium, quatenus non procedunt ex maleficio, & ordinantur in remedium Animæ. Vel dicendum, obsessiones

(seclusis violentiis ad opera ex se malo, & prohibita) quæ ad errorem, & corporis tormentum ordinantur à Deo, esse per exercitium majoris perfectionis. Hujusmodi obsessionibus exercitantur sæpe

nu-

numero Sancti Dei.

Arg. 11. Ex Aponte, sup. cap. 8. Math. digress. 2. ubi refert, de quadam Anima perfecta, quæ Dominum interrogavit, cur tot obsessiones his temporibus, apparet? Cui, ait, respondit Dominus: *Filia, in primitiva Ecclesia multas mihi lucratus sum Animas per martyrium, sed totidem amisi in animabus eas martyrizantium: Nunc autem volo Animas salvas facere, & Tyrannos non amittere; ideo licentiam do Dæmonio, ut eas torquendo martyres faciat:* ergo permissio data est Diabolo, ad violentias suprâ relatas, quibus Animæ cruciantur.

*Ex Ap.
Revel.*

Resp. 1. Revelationem aliam non esse certam. Resp. 2. Revelatione concessa, non loqui de obsessionibus, & arceptionibus, quibus per Diaboli violentiam opera fiunt mala, & prohibita. De his loquitur propositio damnata 43. Molinosi. Resp. 3. loqui de obsessionibus, quibus patientes creaturæ torquentur in corpore, a paritionibus horrendis, & conuassationibus tyrannicis. Resp. 4. Etiam intelligi posse de obsessionibus, quibus per vehementissimas tentationes torquentur Animæ fideles, de quibus ait S. Ambrosius: *Non enim ideo*

*S. Amb.
lib. 1. de
Virg.*

laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat.

Valde nota, quod novissimè diebus istis expurgatus est Aponte à Sacro & Supremo Hispaniarum Fidei Tribunali.

Arg. 12. Ex Revelationibus Sanctæ Birgittæ, lib. 1. cap. 4. ibi: *Aliqui imputant mihi, &c.* Et cap. 23. ibi: *Alterius corpus vexabat Diabolus, &c.* Et cap. 35. ibi: *Tres sunt status hominum, &c.* quibus in locis aperte dicitur, nonnullas personas sanctas involuntariis pollutionibus torqueri, & exerceri, Diabolo suggerente, imò, & humores corporis commovente: ergo Diaboli violentiæ, etiam ad turpia, locum habent ad purgationem mysticam.

*S. Birg.
lib. 1.*

Resp. 2. quod in nulla ex citatis Revelationibus, quas ad litteram vidi, loquitur de violentiis Diaboli ad actus esse malos, & turpes. Resp. 2. motiones humorum in corporibus humanis non esse computandas inter violentias turpes, de quibus loquimur, etiamsi pollutiones involuntariæ sequantur ex eis, cum ingenti animarum sanctarum mortificatione, & tormento: quoniam reverè tales humorum motiones non nimis ex-

*Inf. ad
"g. 41.*

*ad 10
v. 10*

Ss

ce-

cedunt regularem Diaboli tentandi modum, mediis allicientis, & suasionibus absque violentia manuum, aut membrorum corporis.

Ut autem constet; quantum istæ Divinæ Revelationes Sanctæ Birgittæ distent à turpibus Diaboli violentiis in animabus Sanctis, videatur lib. 1. cap. 4. post med. ubi ait Dominus: *Aliqui imputant mihi falsam culpam, qui dicunt, quod illi qui mihi serviunt ex nimia devotione, dicuntur insanire, & habere Dæmonium. Ipsi similem me faciunt homini, qui castam habens uxorem, & in virtutum suam bene confidentem, supponit eam adultero.* Nunc nota, *Talis ergo essem (dicit Dominus) si hominem justum, habentem ad me charitatis animum, dimitterem Dæmoni traditi.* Paulo post loquitur de Diabolo; qui accipit potestatem super carnem bonorum hominum, nihil autem dicit de violentiis turpibus.

Arg. 13. Ex Sancti Catharina Senense, Epist. 61. ad Monachum Cartusianum Gorgonensem, ubi ait: *Ex propria voluntate nascitur culpa, & propria voluntas occiditur ab obedientia. Unde quamvis caro Diaboli suggestionibus effrenetur motibus inordinatis, dummodo volun-*

S. Birg.
lib. 1.
cap. 4.

tas non consentiat, non peccat, quin potius adaugeat meritum, & perfectionem, juxta resistantia gradum: ergo Diaboli violentiæ turpes, non consentiente creatura, adauget perfectionem, & elevent ad transformationem, &c.

Resp. nihil argumentum concludere, quoniam Sancta Catharina loquitur de motibus carnis inordinatis, qui naturaliter ex carne, vel ex Diabolo procedunt modo regulari, non autem de violentiis turpibus, & obscenitatis manibus propriis.

Arg. 14. Ex Chrysost. Enriq. tom. 1. Lib. Cist. lib. 1. dist. 3. cap. 28. & 29. ubi de duabus foeminis virtuosis fertur, fuisse violenter oppressas à Dæmone: ergo Deus Diabolo permittit, quod violentias turpes inferat, &c. Resp. sicut ad arg. 9. Historiis consimilibus pleni sunt libri. Apud ipsum Enriq. loco citato satis indicatur eadem solutio in illis verbis: *Occulto Dei judicio cepit ab impudico Dæmone vexari:* quæ verba consonant cum illis Magni Augustini in casu simili, juxta solut. ad arg. 9.

Arg. 15. Ex duobus agentibus, uno pravo & maligno, altero justo & virtuoso, malum factum non est tri-

S. Joan.
Cbryst.

tribuendum justo, sed pravo: sed ad malum factum à creatura virtuosa, sunt duo agentes, scilicet Diabolus, & creatura: ergo si de justo desiderio creaturæ nobis constet, quidquid in ea malum videatur, non esttribuendum creaturæ, sed Diabolo.

Confirm. arg. Ex Decreto Supreme Inquisitionis apud Farinacium, ubi præcipitur, ne recipiatur testimonium ab Energumenis: ergo signum est, quod obsessorum dicta, & facta tribuuntur Diabolo, & non creaturæ. Unde pariter deduces, operationes obsessorum, non cadere sub humano judicio, nec pertinere ad Sacrum Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

Resp. quod si malum videtur in creatura (etiam virtuosa) non est Diabolo tribuendum, sed creaturæ, dum positivè non constet à Diabolo fuisse factum. Ad quod notabis, quod obsessio, & violentia Diaboli difficillimè probatur; nam ex signis innumeris tria principaliter convincunt, scilicet, *vires supra naturam, loqui linguam ignitam, & occulta propalare.*

Dicendum ergo, omnia delicta, & crimina, quæ videntur fieri à creatura, esse creaturæ tribuenda, & puniendi, nisi aliàs positivè

probetur à violentia Diaboli processisse. *Hoc est maximè notandum.* Et onus probandi, non à creatura, sed à Diabolo processisse, non incumbit Judici, sed ipsi creaturæ, vel ejus Advocato. Quantum verò difficilis appareat positiva obsessio, & violentia Diaboli probatio, satis videbitur, apud eruditum Doctorem Franciscum Bayle, actualem Cathedraicum Medicum Tolosæ Gallicanæ, tom. Opusculorum, Tolosæ impresso anno 1701. Opusc. 7. cujus titulus est: *Informatio circa quasdam mulieres, quæ à Dæmone credebantur obsessæ:* omnibus ritè pensatis, decisum est, nullatenus esse probatum, vel incantationem, vel possessionem, vel obsessionem Diaboli reperiri in eis.

Hoc insuper contrariorum argumentum, quod sæpè superius ab eis audivi repetitum, retorquetur sic. Ex duobus agentibus, uno pravo, & altero justo, malum factum non esttribuendum, per vos, justo, sed pravo: ergo ex duobus agentibus, uno pravo, & altero justo, bonum factum non esttribuendum pravo, sed justo: ergo bona opera creaturæ infecta, quæ est prava, non sunttribuenda ipsi creaturæ, sed totaliter tribuenda sunt Divinæ gratiæ; quæ est bona;

Hæc nota
tabii.

Bayle
Opusc. ci-
rat. 7. à
fol. 379.

Mun. de
Gr. disp.
5. 117. 3.
n. 37.

sed hic est error Calvinistarum dicentium, voluntatem humanam nihil omnino agere in operibus bonis, & solum passivè se habere, quod anathematizat Tridentinum Concilium Sess. 6. Can. 4. ergo, &c.

Trident.
Sess. 6.
Cau. 4.

Eodem modo posset argumentum retorqueri, tribuendo Angelo bono omnia creaturæ opera bona, & non ipsi creaturæ. Si enim opera mala tribuuntur Diabolo cur opera bona non possent Angelo Sancto conscribi? Si Diabolus violentiam infert ad malum, cur non Angelus bonus ad bonum? Sed ex hoc novus error sequeretur, ut ex se liquet, dum hæc opera bona tribuerentur creaturæ, & omnia in mundo confunderentur: ergo, &c.

Vid. apud
Illust. Si-
manc. de
Cat. Inst.
cap. 37.

Ad confirmationem argumenti, respondeo pro nunc, Decretum Supremi Senatus Fidel (salva semper ipsius Sacri Tribunalis Expositione) intelligi debere de illis Energumenis permanentibus, qui regulariter turbati sunt, & verè comprobati est existere Diabolum in eis, saltem per unum ex tribus signis supernaturalibus nuper relatis in responsione ad hoc argumentum. Non autem videtur intelligendum Decretum de illis obsessis, qui solum opi-

nativè tales existimantur, regulariterque sunt liberi, & solum quando malè operantur, judicantur obsessi, contemnunt Prelatos, perturbant pacem, verbis offendunt, & factis turpitudines efficiunt, & hæc, & alia pejora, vel æquo mala, quæ videntur in eis, non repugnant à malitia, vel à passione inordinata procedere, consequenterque non convincunt obsessionem in subjecto, neque probant à violentia Diaboli provenire.

Ad illationem ex argumenti confirmatione deductam, nimirum, operationes obsessorum non cadere sub humano iudicio, respondeo esse falsam. 1. Quoniam de facto Sanctus Pontifex Innocentius Undecimus iudicavit propositionem 4.1. Molinosi, quæ loquitur de operationibus obsessorum. 2. Quoniam Sanctum Inquisitionis Tribunal, si opus in exteriori est contra Fidem, iudicat de illo, & creaturæ tribuit tale opus, usquedum aperte probetur positivè, non fuisse factum à creaturæ, sed à Diabolo. 3. Quoniam neque in Confessione Sacramentali possemus credere, quæ talis creatura confiteretur; eo quod Diabolus posset in ea dissimulatè loqui, Nonnulli Directores credere volunt omnia, quæ dicit

Molin.
prop. 68.

ob-

obsessus, vel obsessa, & nolunt à Sacro Tribunali credi, imò neque examinari. Caveant à propositione 68. Molinosi. Vid. solut. ad arg. 38.

Molin.
prop. 41.
& seq.

Arg. 16. Damnata Molinosi propositio 4.1. dicit: Deus permittit, & vult, quod Doemon inferat violentiam corporibus obsessorum, faciatque illos patrare actus carnales, &c. sed damnatio talis propositionis subsistit, licet exponamus, solum esse damnatum quod Deus vult, & non esse damnatum quod Deus permittit: ergo, &c. Resp. utrumque reperiri in propositione damnata, & quod Deus permittit Diabolo tales violentias obscenas facere in personis Sanctis, & etiam quod Deus vult: & utrumque mihi videtur esse damnatum, salva semper expositione ipsius Sanctæ Sedis, & quæque Tribunalium. Permissiones huiusmodi solum opinor esse concessas, prout dicitur in solut. ad arg. 9. Verba in dubio sunt intelligenda simpliciter, & non secundum quid, prout asserit Barbosa, trad. var. Axiom. 218. num. 23.

Molin.
prop. 61.

Arg. 17. Valde sunt diversæ propositiones damnatae Molinosi, à propositionibus quinque supra relatis: ergo, &c. Prob. ant. Intèlix: Hæ-

resiarca Molinos abstruebat violentias turpes suarum propositionum, etiam in non arreptiis: deinde nullam postulabat resistantiam in creaturis patientibus: sed hæc non asseruntur in illis quinque propositionibus, de quibus agimus: ergo. valde diversæ sunt. Resp. in assignatis conditionibus differre, in aliis autem conditionibus convenire. Implicantiam posuit Molinosus adstruendo simul in obsesso violentiam manum à Diabolo, & carentiam arceptionis, ut iam supra notavimus.

Præterea, si solum prohiberentur obscenæ Diaboli violentiæ, quatenus ab humana voluntate non repellantur in eo quod resistere valet creatura, nihil damnaretur, quod antea sepe saepius non erat damnatum: si quidem non resistere tentationi; peccatum erat semper: Restitite Diabolo, & fugiet à vobis, ait Jacobus. Aliquid ergo præter hoc, est in propositione damnatum.

Jacob. 4.
v. 7.

Arg. 18. Et Cardin. Toledo, in Commento ad cap. 41. Tolet. in Luca, ubi ait: Solent etiam Doemones intrantes in humana corpora, eorum membris (etiam invitis ipsis hominibus) abuti ad operandum, unde actiones tales non ipsis ho-

Card.
Tolet. in
Luc.

Ss 3 mi.

minibus, sed Daemonibus, quibus agitantur, adscribuntur: ergo Diaboli violentiæ ad actiones pravas, innegabiles sunt.

Resp. nihil argumentum probat, quoniam absolute non negamus Diaboli violentias, sed eas, de quibus loquuntur relate quinque propositiones in concreto.

S. Joan. Chrys. de Prov. Arg. 19. ex S. Joanne Chrysostomo, in tribus Libris de Providentiâ, quos scripsit ut soleretur Stagyrium Monachum Sanctum, & obsessum, ubi ait: *Diemones vexant sanctiores homines aliquando, quos dum peccatis involarentur, nulla adversitas molestavit*: ergo, &c. Resp. intelligi de vexationibus penalibus, quibus exercitantur Animæ justæ.

Casian. in Collat.

Arg. 20. ex Casiano Collat. 28. ubi ait, Deum permittere obsessiones, ut humilientur, & purgentur Animæ sanctæ: ergo, &c. Resp. similiter sicut ad arg. 19. Sic etiam videtur exponendus Abbas Trithemius in qq. lib. 8. quæst. 5. cit. à Torreblanca in Pract. Jur. fol. 312. c. 4. n. 72. ubi tenet, Deum permittere obsessiones in virtuosiss, ad majus bonum, & meritum eorum. Idem docent P. Thyraus, tract. de Daemonibus, part. cap. 32. n. 89. & Ra-

phael de la Torre 2. 2. q. 90. d. 21. n. 8. & Sylvester Fb. 2. Mor. cap. 8. punct. 5. dicentes, Deum permittere obsessiones ut homines Justos exerceat, atque probet, & ita illis sint exemplum patientiæ, humilitatis, &c.

Arg. 21. ex P. Martino del Rio, lib. 2. Disquis. Mag. c. q. 24. ubi ait: Potest Demon, si Deus non prohibet, in actum aliquem impellere hominem, qui ex suo genere, si adesset consensus liber, peccatum foret: ergo, &c. Resp. totum esse verum. Restat autem probandum, Deum non prohibere, vel Deum Diabolo permittere tales violentias in Animabus sanctis, prout in concreto relato quinque propositionum asseveratur.

Annal. Bened.

Arg. 22. ex Annalibus Benedictinis; à Doct. Petro de Ciria conscriptis, ubi in Vita Sanctæ Adelaydæ, quæ, (ut ibi dicitur) fuit Uxor Imperatoris Henrici Quarti referitur, consentiente Viro suo turpiter fuisse cognitam, & oppressam à multis hominibus, ipsa remuente: & his non obstantibus, Summum Pontificem Urbanum Secundum decessisse in Concilio Placentino Sanctam Adelaydam non peccasse, &c. ergo alienum non est à pietate Divina, tales violentias turpes permittere

tere

tere Deum in personis justis, & Sanctis.

Ex eid. Annal. Confirm. arg. ex ipsis Annalibus, in Vita Sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris, Provinciæ Bravantia, die 2. Septembris, ubi dicitur, fuisse turpiter violatam; & crudeliter à Tyrannis ipsis violentoribus occisam: ergo relate Dei permissiones ad violentias turpes, innegabiles etiam redduntur in personis Sanctis.

2. ad 36. Concil. Placent. Ad arg. resp. 1. Henricum Quartum non regnasse tempore Urbani Secundi, nec tempore Concilii Placentini, Quoniam Urbanus Secundus Pontificatus gessit ab anno 1088, usque ad annum 1099.

& anno 1095. celebratum est Concilium Placentinum: Henricus autem Quartus cepit imperare ab anno 1106. Unde post mortem Urbani Secundi transierunt quindecim anni, & post Concilium Placentinum fluxerunt octo, antequam Henricus Quartus accepisset Imperium, ut testatur in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronius.

Baron. ad ann. 1095. Imperatrix insuper Adelayda, quæ aliis *Prævedes nominatur* ab aliis, non fuit Uxor Henrici Quarti, sed Henrici Tertii, ut expressè tenet ipse Baronius, ad ann. 1093. ubi refert injurias Im-

peratricis factas ab Iniquo marito: & anno 1094. refert excessum ipsius Imperatricis ad Synodum Constantiensem: & anno 1065. ad Synodum Placentinum, ubi peccatum suum Imperatrix spontè, & publicè confiteri non erubuit, ait *Baronius*, undè, & de poenitentia injungenda Pontifici cum Sancta Synodo illum eleventer absolvit, quoniam invitam pertulisset pro certo cognoverit. Regina verò ingressa Monasterium, facta est Abbatisa, ut quidam dicunt. Vid. Bar. ad ann. 1093. tom. 1. pag. 641. lit. B. & C. & 644. lit. E. & 653. lit. E.

Vit. Adel.

Nunc igitur Historia Adelaydæ sic reperta, respondemus in primis, nunquam Adelaydam à Baronio vocari Sanctam in his quæ legitimus, nec eam inventimus à Ecclesia canonizatam, nec in Romano Martyrologio nominatam. Verum nec ob id negamus, potuisse Sanctam esse, quoniam etsi peccasset, potuit agere poenitentiam; & sanctam usque ad finem ducere vitam.

Resp. 2. ad arg. concessis omnibus, nimis, esse Sanctam, & turpes pertulisse violentias: magnum verò fore discrimen inter permissiones Dei concessas hominibus violentoribus, & concedendas Dæ-

Suprà Rai. 3.

monibus, ut supra notavimus in solutione ad instantiam, & confirmationem instantie, contra rationem primam: ubi distingimus inter violentiam illatam à Diabolo, & ab homine; quoniam homo totaliter liber est ad quæcumque velit, Diabolus autem ligatus est, ut ait Augustinus supra relatus in *Ratione tertia*.

Ad idem me legisse recorder, quod licet Altissimus liberaverit ab incendio, feris, aliisque immanibus tormentis nonnullos insignes Christi Martyres, non tamen liberavit eos ab ictu gladii Tyranni percutientis eos, ne jura violaret integræ libertatis humanæ moventis gladium. In permissionibus verò Diaboli concessis, ligatam novimus ipsius Diaboli potentiam, ut legimus in Breviario Romano, die 26. Septembris, Diabolum dixisse Sancto Cypriano, primum Mago, postea Martyre: *Nullam sibi autem processuram adversus eos; qui verè Christum colerent*: ergo Diabolo non permittitur contra personas Sanctas, quidquid ipse vellet, & facere posset cum permissione Divina.

Ad confirm. arg. resp. similiter neg. paffitatem de permissionibus Dei cum hominibus viatoribus, ad permis-

siones ipsius Dei cum Diabolo ligato, qui certè omnia confunderet, & immensa mala faceret, si aliàs daretur ei facere quæcumque vellet: *Nisi Diabolus potestate mea refranaretur* (ait Dominus Sanctæ Birgittæ) *etiam movere posset montes*. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Ipse est rex super omnes filios superbiæ; & superbia ejus ascendit semper.

Arg. 23. ex M. Joanne à Sancto Thoma, in exposit. Doctrinæ Christianæ, 2. part. 6. præcepto, ubi querit: An peccatum sit, violentè opprimii à Dæmone? Ad quod respondet negativè, si omni moda violentia exequatur: ergo tenet, Deum permittere tales impuras violentias, te-sistente, & non consentiente creatura: ergo, & in personis Sanctis, & perfectis. Resp. sicut ad arg. 9.

Arg. 24. ex M. Raymundo Lumbier, super dub. an licitum sit abortum procurare? Consultationem; & dic-tamen affert hominum Theologorum, qui super Mortali Serva Dei violentè à Dæmone oppressa, pragnata videbatur juxta Phycæorum judicium: ergo, &c. Resp. nihil hæc, & similia probare. Primò, propter solut. ad arg.

S. Birg. lib. x. tit. 601. Joh. 41. 7. 24.

M. à S. Thom.

M. Lumbier sup. prop. 34. Inusc.

9. Secundo, quoniam regulariter omnia hæc in imaginatione contingunt, & solum apparenter videntur, ut infra dicemus.

S. Hier. de S. Hilari.

Arg. 25. ex Vita S. Hilariionis, à S. Hieronymo scripta, & à Thyreo citata, 2. p. de Dæmone; cap. 29. n. 9. ubi ait, in ea referri verba, & actiones turpes Ancillæ cujusdam virtuosæ, per violentiam Diaboli agitata: & interrogante Diabolum Sancto: *Quare ausus es ingredi puellam Dei?* Respondit: *Ut servarem eam Virginem*: ergo violentiæ turpes Dæmonis prorsus animabus Sanctis.

Resp. Thyreum nihil in loco citato dicere de allata Virginis historia. Verùm desiderio inveniendi veritatem legi vitam S. Hilariionis, à S. Hieronymo scriptam, & historiam inveni toto celo contrariam. In primis, nihil in ea de actionibus, nec de verbis turpibus refertur. Deinde, nec ancilla virtuosæ nominatur, quinimò amore cujusdam juvenis capta. Tertio, verum est quod cum Sanctus Hilariion interrogaret Diabolum: *Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei?* Respondit Diabolus: *Ut servarem eam Virginem*. At Hilariion dixit: *Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius eum, qui te*

mittitebat es ingressus? Et Diabolus respondit: *Ut quid intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris Dæmonem?* Et statim sequitur in Historia: *Noluit autem Sanctus antequam purgaret Virginem, signa jubere perquiri: ne aut solitis incantationibus recessiss Dæmon videretur: & reddita sanitate, increpuit Virginem, cur fecisset talia, per qua Dæmon intrare potuisset in eam.*

Hoc argumentum in facie mihi visum est magni ponderis, si verum foret quidquid dicitur in eo, ideoque non quievi, usquedum in Sancto Hieronymo legi veritatem Historiæ, sic arguenti contrariam, sicut visum est. Sæpè idipsam mihi contingit in hac subiecta materia, dum argumenta contrariorum evicerer laboro. Videatur S. Hieronymus in editione Coloniae Agripinæ, ann. 1618. t. 1. in Vita S. Hilariionis, pag. 94. col. 2. circa fin. & col. sequent.

Arg. 26. ex Cardin. Toledo, in cap. 4. Lucæ, annot. 54. dicente: Dæmon intra hominum corpora existens, sua virtute ea movet, & eorum membra, ut dicit Augustinus, lib. de Civit. Dei, cap. 4. & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 82. multa

S. Hier. in edit. Colonia.

Card. Tol. in Luc.

autem facit erga talia corpora, sæpe lingua utitur ad dicendum multa, & maledicendum: sæpe etiam membris genitalibus abutitur ad actus obscenos, aliqua similia facit, etiam inuitis hominibus quos vexat; ergo, &c.

S. Aug.
19. de Ci-
uit.

Resp. id verè reperiri apud Tolet. cit. falsum tamen est apud S. Augustinum inveniri in locis citatis. Vidi quidem oculis meis Toleti doctrinam, & ea quæ dicit Sanctus Augustinus, legi de verbo ad verbum, & valde miror, quod ad tales spurgetias citeetur tam Magnus Ecclesiæ Doctor; l. 25. de Civit. Dei, cap. 4. de miseris agit vitæ mortalis, & ait: *Quid dicam de his, qui Dæmonum patiuntur incur- sus? Ubi habent absconditam, vel obrutam intelligentiam suam, quando secundum suam voluntatem, & Anima eorum, & corpore malignus usitur spiritus?* Vide quantum hoc distet à verbis argumenti, & à fine illius.

S. Aug. de
Ecc. Dog.

Idem Magn. August. Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 82. interrogat: *Dæmones quomodo occupent homines?* Et respondet in corpore: *Dæmones per energeticam operationem, non credimus substantialiter illabi dominus, sed applicatione, & opprobriatione uniri. Illabi autem*

mentis, illi soli possibile est, qui creavit. Vide quantum hoc differat à Doctrina in argumento relata.

Tolet. in
11. Luc.

Arg. 27. Ex ipso Cardin. Tolet. in cap. 11. Lucæ, annot. 59. ubi clarius explicat vexationem Dæmonis per exercitium, ibi: *Altero modo corporaliter tantum, &c.* quia non semper qui sic à Dæmone vexantur, in peccato sunt; ut probat Augustinus, lib. 21. de Civit. Dei, cap. 14. lib. 22. cap. 22. ergo, &c.

Resp. similiter, nihil Sanctum Augustinum dicere in locis citatis, quod prosit arguentibus. Certè dum Augustinum audio nominatum in favorem oppositæ sententiæ, sisto gradum, & transire non audeo, usquequæ dixit, oculis meis recordoscam. Lib. 21. de Civit. Dei, cap. 14. agit de pœnis temporalibus istius vitæ mortalis, & inquit: *Nonnulli etiam incursum spirituum malignorum aliquando patiuntur.* Hoc verum est. Et lib. 22. cap. 22. de miseris, *quibus humanum genus obnoxium est, circa medium ait: Contra milleformes Dæmonum incursum, quis innocentia sua fideret, etiam parvulos baptigatos, quibus certè nihil est*

S. Aug. 1.
21. de
Civ. Dei.

in-

Innocentius, aliquando sic vexantur? &c. Videatur in utroque loco Santissimus Doctor, & nihil in eis de violentiis turpibus invenietur, sed de vexationibus corporalibus, de quibus supra diximus in solut. ad arg. 9. & 10.

Casian.
in Collat.

Arg. 28. ex Casiano; Collat. 7. cap. 27. ubi refert, obsessionem Abbatis Moyses, quem vocat *Virum incomparabilem*, & ait: *obsessionem pertulisse, ad purgationem spiritualem; ergo, &c.* Resp. obsessionem fuisse solùm penalem, & vexationem corpoream sine violentiis turpibus, de quibus est disputatio nostra, nam de alia non dubitamus. Videatur solutio ad arg. 20.

Menop.

Arg. 29. ex Menochio p. 3. cap. 67. ex Mallico malef. & aliis, quos citat Gastaldus, tom. 3. de Potest. Ang. dist. 7. quæst. 1. quæstiunc. & art. 6. ubi resolvit, certam esse materiam obsessionum, ibi: *St. 1. Conclusio: Aliquando quis possidetur à Dæmone pro majori suo merito.* Et hoc probat ex Dialogis S. Severi, & Gersonis, tract. de Error. circa artem magicam, exemplo cœci nati, Joann. 9. & confirmat Meleuse. ex Angelle. Doct. & Augustino, l. 21. de Civitate Dei, cap. 28.

& S. Hieronymo, in Boist. s. Hier. ad Paulum de dormitione: *Cœ. Epist.* lesti, & ex Vita S. Paladii, S. Parmeli, & aliis Historiis Ecclesiasticis, ut homines justi exerceantur; ergo, &c.

Resp. sicut ad arg. 20. & 28. Si autem Gastaldus, vel alii dixerint amplius, corrigendi videntur cum damnati Molinosi propositionibus, ut infra dicemus. Sanctus Augustinus in lib. 21. de Civit. Dei, non habet nisi 17. capita juxta editionem Parisiensem ann. 1613. quam præ oculis habeo.

Inf. ad
arg. 44.

Arg. 30. ex Gastaldo, tom. 3. de Potest. Angelica, dist. 7. ubi ait: *Cardinalem Toletum resolvere, multoties Dæmoniacos, cogi ad fornicationem, mortis à Dæmone instrumentis; & applicatis, sicut dicit Augustinus, lib. 15. de Civit. Dei, cap. 24. ergo, &c.* Resp. S. Augustinum, l. 15. de Civit. Dei, cap. 24. quod brevissimum est, nihil dicere de tali violentia Diabolica, imò ibi nec verbum loqui de Diabolo. Circa Gastaldum, & Toletum, videantur solutiones antecedentium argumentorum.

Gastald.
arg.

Arg. 31. Ex Cardin. Lareza, in Opus. 6. cap. 5. ubi ait, partem sensitivam hominis purgari Dæmonis persecutione, ibi: *Est adeo vehe-*

Cardina-
lis Lare-
za.

mens